

EIVSDEM DV CIS, &c. VITA.

CIVS imago ter hæc jllustris & inclyta? de qua
 Splendet amabilibus mens generosa notis?
 Sexq; decemq; videns annos Dux inclytus, illâ
 IANVS FRIDRICVS conspiciendus erat.
 Filius Herois FRIDERICI, Principis eius
 Qui VVürttembergo Dux modò regnat agro.
 Ascanis huic Princeps illum jllustrissima partu,
 Belgarum in forti Monte, SIBYLLA dedit.
 Chara suis Soboles generosa Parentibus illa,
 Hac quoq; re, primo quòd foret orta loco.
 Nec minus Agnatus charam LVDOVICVS, habebat,
 Qui tunc VVürtbergæ Dux regionis erat.
 Hinc mox Studgartum primis traduxit in annis,
 Vt præsentè, sua, posset, in arce, fruï.
 En, habet vt Natum; Præceptorumq; labore,
 Moribus, & studijs, & pietate colit.
 In Puerò virtus hoc Principe summa nitebat,
 Promittens Domini mitia dona suj.
 Et iam Collegi Domus ædificata Tubingæ,
 (Magnificæ speciem quæ Domus Arcis habet;
 Sacra Domus studijs, habitatio commoda Musis)
 Principe debebat hoc capere orsa suj.
 At pius intereà mortem LVDOVICVS obibat:
 Ergo opus hoc Hæres Dux FRIDERICVS adit.
 Quo bene perfectò: parat illic Principe dignam,
 Magnificis, Aulam sumptibus, atq; Scholam.
 Sistit eò Natum Pater Illustrissimus Ipse,
 Collegiq; facit cæpta secunda nouj.
 Quanta noui fuerit tum magnificentia festi;
 Collegi memorat nostra Camæna nouj.